

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS.

QUÆSTIO VI.

DE VOLUNTARIO, ET INVOLUNTARIO.

SUMMA TEXTUS.

Expedito tractatu de beatitudine, seu fine ultimo assequibili ab homine, incipit ab ista quæstione agere D. Thomas de actibus, quibus ad istum finem dirigimur, vel ab eo deviamus, qui sunt actus boni, et mali. Et de illis in speciali per species suas agit in secunda secundæ. Hic autem agit de illis in communi, et de eorum principiis, tam a quibus procedunt, qui sunt virtutes, et vitia, quam a quibus regulantur, quæ sunt lex, quam a quibus adjuvantur, quæ sunt gratia.

Et quia actus morales, seu humani sunt idem quod actus regulati per rationem, seu legem, sicut actus artificiales regulati per artem, et in hoc oportet attendere ad duo, scilicet ad ipsam regulationem, quæ est sicut formale, et ad rem ipsam, seu materiam tali regulatione dirigendam, et ordinandam, quæ est sicut materiale, prius agit D. Thomas in actibus humanis de eo, quod est materiale, scilicet de actibus voluntariis: quia quod est dirigibile, et regulabile per legem, et rationem sunt actus voluntarii, et liberi: deinde vero agit de ipsa moralitate, seu regulatione, penes quam actus sunt boni, id est, conformes legi; vel mali, id est, diffformes. Et hoc pertinet ad quæstionem xviii. Ab ista vero quæstione sexta usque ad illam agit de actibus voluntatis, quatenus voluntarii sunt, seu a voluntate procedunt, et de eorum diversitate, et varietate. Et sic incipit in hac quæstione a voluntario, et involuntario in communi.

Igitur in articulo primo determinat, quod in actibus humanis invenitur voluntarium: quia in actibus precedentibus ab homine invenitur definitio voluntarii. Est enim voluntarium, quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis. Utrumque autem in homine reperitur, quia agit per rationem cognoscendo finem, et per voluntatem movendo se in id, quod cognoscit.

In articulo secundo ostendit voluntarium imperfectum etiam in brutis inveniri, non perfectum. Imperfectum est solum id, quod est spontaneum, quod scilicet ex principio intrinseco procedit, sed cum cognitione imper-

fecta, scilicet quæ non cognoscit habitudinem finis, neque comparat; sed solum bonitatem absolute, et sic moventur bruta spontanee potius, quam voluntarie. Perfectum voluntarium est, quod procedit cum perfecta cognitione finis, id est, cognoscendo habitudinem finis ad media cum comparatione, et collatione, unde sequitur libertas in actu.

In articulo tertio ostendit, quod voluntarium potest esse absque omni actu procedente a voluntate sive exteriori, ut cum quis voluntarie vult non operari exterius, sive etiam interiori, ut cum quis non vult, et tamen potest velle. Sic ex specie sua salvatur voluntarium sine actu. Quomodo vero in exercitio semper aliquis actus antecedit, vel comitetur etiam omissionem voluntariam, infra dicitur quæstione lxxi, articulo quinto.

In articulo quarto ostendit, violentiam non posse inferri voluntati quoad actus a se elicitos, id est, quod actus sit elicitus a voluntate, et tamen sit violentus: quia hoc ipso, quod elicitur est a principio intrinseco influente seu conferente vim, id est, virtutem influxivam: violentum autem est a principio extrinseco, passo non conferente vim. In actibus autem imperatis potest pati violentiam, quia imperante voluntate potest ab extrinseco impediri, ne fiat, membra ipsa impediendo.

In articulo quinto ostendit, quomodo violentia causet involuntarium; quia facit, ne aliquid a voluntate procedat, sed a principio extrinseco maneat impeditum. Quod solum contingit in actibus imperatis, qui solum possunt violentiam pati, et impediri, ne voluntarie fiant.

In articulo sexto ostendit, quomodo metus causet involuntarium, scilicet non simpliciter, sed secundum quid, et sic est mixtum ex voluntario, et involuntario, licet voluntarium prædominetur. Quæ enim ex metu fiunt, existente causa metus, et durante, acceptantur a voluntate de facto, et in re intuitu metus præcise, non absolute ratione sui, quin potius ipsa voluntas in tali dispositione est, quod si removeretur causa metus, non vellet rem illam. Sed quia hoc solum est in dispositione, et præparatione non in actu, ideo dicitur esse voluntarium secundum quid, quasi solum in potentia, et præparatione, non in exitu, et elicentia, sicut primum.

In articulo septimo ostendit, quod concupiscentia non tollit voluntarium de se, nisi per accidens, et pro aliquo casu, scilicet si tollat iudicium rationis indifferens, et deliberativum; si autem illud relinquat, non repugnat voluntario, quia potius allicit, et trahit ad consensum, et inclinatur; non retrahit, sicut timor.

In articulo octavo ostendit, quomodo ignorantia tollit involuntarium, scilicet quia privat cognitionem. Unde est triplex ignorantia. Una antecedens actum voluntatis, quæ ignorantia nullo modo est volita, neque in manu nostra, et ex suppositione illius operatur quis. Alia est concomitans, quæ quidem de facto, et in re datur quando operatur quis, et tamen in tali dispositione voluntas, quod etiam si sciret operaretur, et sic non movetur ex suppositione illius ignorantie. Tertia est ignorantia consequens, id est, quæ sequitur ad actum voluntatis, quia scilicet est volita, aut directe, quia vult aliquis ignorare, aut indirecte, quia non curat scire cum debeat. Prima ignorantia reddit; involuntarium opus: secunda voluntarium: tertia facit non voluntarium, id est, ex vi illius non fit influxus a voluntate, nec tamen ei fit repugnans.

DISPUTATIO III.

DE VOLUNTARIO IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Explicatur definitio voluntarii.

I. Dari voluntarium tam constans est apud omnes, quam dari voluntatem, a qua per ipsam experientiam cognoscimus procedere quid nobis voluntarium est. Unde supervacuum est inquirere circa ipsum, an est voluntarii; sed solum ejus definitio, et quidditas explicanda a nobis est.

II. Duo autem oportet supponere. Primum, quod aliud est voluntarium, aliud est volitum: volitum enim proprie dicitur id, quod est objectum volitionis, id est, voluntatis, ut prosecutivæ, et ut distinguitur contra nolitionem, et fugam, et sic esse volitum est denominatio extrinseca in objecto, sicut esse visum, vel cognitum. Voluntarium autem dicitur quidquid est procedens, vel dependens a voluntate, sive procedat tamquam actus elicited, sive tamquam imperatus; vel tamquam effectus aliquis consecutus, sive positive a voluntate procedat, sive negative, ut omissio; et generaliter quidquid in arbitrio voluntatis est, et ab ejus influxu dependet, sive physico, sive morali. Itaque voluntarium dicitur processum, vel dependentiam a voluntate, respicitque illam in ratione efficientis, vel influentis: volitum autem dicit extrinsecam denominationem objecti, provenitque ab ipso actu volitionis tamquam a causa formali extrinseca illius denominationis.

III. An vero quod est voluntarium per modum actus a voluntate procedentis sit etiam volitum per modum objecti, aliqui affirmant putantes omnem actum, quem elicit, vel imperat voluntas etiam amari, et esse volitum, ut objectum, saltem virtuali quodam, et reflexo amore. Sed respondetur, quod licet actus isti amari possint, actus quidem imperati directe, elicited autem reflexe; tamen hoc necessarium non est, ut tales actus simpliciter sint voluntarii. Ratio est, quia ut amor procedat a voluntate, non est necesse, quod ametur, et proponatur ut objectum, sed sufficit quod res, quæ proponitur ut diligenda per talem actum sit res volita, ipse autem actus amoris, vel est amatus per se ipsum, vel per alium actum: per se ipsum amari non potest etiam virtualiter, nisi ab alio actu reflexo, ut objectum attingatur. Nam quod se habet ut objectum debet proponi ab intellectu, ut terminus in quem tendatur, non tamquam tendentia ipsa ad objectum propositum; quando autem actus non est reflexe volitus, non proponitur ab intellectu ut terminus, in quem tendatur, sed ut tendentia ipsa in alium terminum, seu objectum; ergo non proponitur ut objectum amandum, et sic ille actus est voluntarius, sed non volitus per se ipsum. Si autem per alium actum est volitus, sicut per actum reflexum, jam supponitur talis actus a voluntate processisse, quando super illum cadit reflexus actus; ergo jam supponitur voluntarius, quia jam supponitur a voluntate procedens. Quod si requireretur actus reflexus ut esset voluntarius, rursus ille reflexus alium actum requireret, ut voluntarius esset, et sic ad rationem voluntarii daretur processus in infinitum.

IV. Secundo suppono, dupliciter dici voluntarium, uno modo stricte,

et rigorose: alio modo minus proprie, et latiori significatione. Stricte dicitur voluntarium quod procedit, vel dependet a voluntate stricte, et proprie dicta, qualis est voluntas rationalis: minus proprie dicitur voluntarium, id quod a quocumque appetitu elicited dependet, et procedit, etiam si voluntas non sit, et ideo proprius dicitur spontaneum, quam voluntarium. Imo quidquid fit inclinatione aliqua sine violentia, aut arte, dicitur sponte fieri, sicut grave dicitur sponte sua tendere deorsum; et terra dicitur sponte gignere herbam, quando non gignit illam per culturam, aut artificium, sed quodam naturali impulsu. Sed tamen proprie loquendo de spontaneo solum dicitur de eo, quod est ab appetitu elicited, qui scilicet operatur ex aliqua cognitione, sic enim non fertur in aliquid ut pure motum, sed ut se dirigens, et movens, sic enim sponte sua dicitur moveri.

V. His suppositis, voluntarium dupliciter solet definiri. Primo generaliter: Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis, seu cum cognitione singularium, in quibus operatio consistit, (ad declarandum cognitionem illam debere esse practicam) quæ definitio est generalis complectens non solum voluntarium perfectum, et liberum, quale est in voluntate rationali, sed etiam voluntarium imperfectum, seu spontaneum, quale etiam in brutis invenitur. Et hæc definitio elicited ex Aristotele III ethicorum, cap. I; D. Damasceno libr. II fidei, cap. XXIV; Nysseno libr. V philosophiæ, capit. I, et II. Et est communiter recepta a philosophis, et theologis.

VI. Secundo definitur voluntarium ab Almains primo moralium tractatu I, capit. I, prout solum complectitur id, quod est liberum, dum dicit: « Quod voluntarium est actio

vel omissio, quæ ita est in potestate agentis, ut positus omnibus requisitis possit eam ponere, vel non ponere. » Cæterum non est idem, neque convertuntur liberum, et voluntarium, sed voluntarium latius se habet, et universalius, quam liberum, ut docet D. Thomas, hic articulo II, ex Aristotele; tum, quia voluntarium, seu spontaneum etiam convenit pueris, et amentibus, et brutis, quibus tamen non convenit libertas, moventur enim ex instinctu, et cognitione per inclinationem intrinsecam, quod sufficit ad voluntarium; tum, quia voluntarium, et liberum secundum diversos respectus, et formalitates dicuntur: nam voluntarium dicitur id, quod a voluntate procedit, liberum autem, quod secundum indifferentiam iudicii, et secundum arbitrium. Quæ autem etiam sine arbitrio a voluntate sunt, voluntaria esse debent; quia hoc ipso, quod a voluntate procedunt, hoc ipso non sunt a natura, quia ex cognitione; nec ab arte, quia non per certas, et determinatas regulas fiunt, sed contingenter, et arbitrarie; nec sunt violenta, quia non a principio extrinseco; ergo voluntaria; tum denique; quia multa, quæ procedunt a voluntate, et non libere, placent voluntati; ergo sunt illi voluntaria, nec tamen libera. Antecedens patet in amore beatifico, qui summe placet, et tamen libere non procedit, sed necessario, et tamen non est aliquid naturale, neque violentum, aut arte factum, ergo voluntarium.

VII. Quare prima illa definitio acceptanda est, utpote communiter tradita, et ejus explicatio est valde conformis naturæ, seu quidditati voluntarii; distinguit enim illud a naturali, a violento, ab artificiali, et id quod maxime proprium est operationi voluntatis explicat. Distinguit illud a violento, et artificiali,

quia hæc habent principium sui motus ab extrinseco, artificiale quidem, quia est ab arte, quæ est in intellectu artificis, non in ipsa re arte facta, quæ movetur: a violento autem, quia violentum est ab inferente vim cum renitentia, seu resistentia passi; ergo talis vis infertur ab extra, ab intra enim potius resistitur ei. Distinguitur autem a naturali, quia licet naturale sit a principio intrinseco, non tamen est cum cognitione finis dirigente motum, sed opus naturæ, etiam cessante cognitione, et principio intrinseco dirigente, procedit.

VIII. Est autem hæc definitio maxime explicativa operationis voluntatis in eo, quod sibi propriissimum est. Nam in rebus, quæ a principio intrinseco moventur duplex potest dari principium se movendi, scilicet efficiens, et finis: nam si principium motus est causa efficiens illius, causa autem efficiens dirigitur et movetur a fine, eo quod finis est id cuius gratia agens operatur, oportet, quod id quod a principio intrinseco movetur, solum ab isto duplici principio possit ab intrinseco moveri, scilicet ab efficiente, seu eliciente motum, et a fine. In quibusdam ergo rebus se moventibus datur quidem principium intrinsecum efficienter movens, id est reducens de potentia ad actum, non tamen datur principium intrinsecum movens per modum finis, eo quod finis movet metaphorice, id est, per sui apprehensionem. Unde in his, qui finem non apprehendunt, non potest dari principium intrinsecum motus ex parte finis, seu directionis in finem, sicut patet in plantis, et in motibus vitæ vegetativæ, et generativæ, in quibus est motus ab intrinseco penes causam efficientem motum, non tamen penes causam finalem, sed in directione finis moventur a principio ex-

trinseco, scilicet ab auctore naturæ, non vero se ipsa movent dirigendo in finem, et sic se habent ut mota, sed non ut se moventia in ratione causæ finalis.

IX. Quæ vero apprehendunt finem, et ex illo apprehensio excitant inclinationem, et appetitum, seu motum, dicuntur moveri a principio intrinseco, tam ex parte causæ efficientis, quam ex parte finis dirigentis, et sic perfecte moventur ab intrinseco, scilicet ex utroque latere efficientis, et finis. Hæc autem vocantur voluntaria, quia ad appetitum elicito pertinent, qui per cognitionem dirigitur, et sponte propria dicitur tendere, et moveri, quasi ex desiderio finis apprehensi, et quia principalis appetitus elicito est voluntas, quæ in nobis reperitur, ideo omnia spontanea, et quæ ab appetitu elicito procedunt, denominantur voluntaria a principali appetitu, qui est voluntas. Et cum definitio tradita explicet voluntarium penes principium intrinsecum cum cognitione finis, propriissime explicat ipsam rationem propriam voluntarii per hoc quod sit a principio intrinseco cum cognitione finis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

X. Objicies contra definitionem positam, videri ex una parte redundantem, et convenire pluribus a definito: et ex alia parte strictam, et non omnibus definitis convenire; ergo est mala. Antecedens quoad primam partem probatur: nam in primis illa definitio convenit non solum his, quæ procedunt a voluntate, sed etiam his, quæ procedunt ab intellectu, seu a principio cognoscitivo antecedenter ad voluntatem. Quæ enim ab intellectu procedunt sunt a principio intrinseco;

intellectus enim intrinsecum principium est. Similiter procedunt cum cognitione finis, quia si finis proponitur voluntati, utique datur cognitio finis. Si autem proponitur aliquod medium deductum ex cognitione finis, et similiter si conclusiones deducantur ex præmissis, jam præsupponitur, et præcedit cognitio finis, et præmissarum; ergo in intellectu antecedenter ad voluntatem salvatur tota definitio voluntarii; quia datur ibi aliquid a principio intrinseco, id est, ab intellectu cum cognitione finis, sicut media proponuntur ab intellectu, et ab eo procedit illorum cognitio supponendo cognitionem finis, et tamquam orta ex illo; ergo tota definitio voluntarii invenitur in intellectu ante voluntatem.

XI. Secundo, quia actus supernaturalis, verbi gratia actus charitatis est voluntarius, imo et liber in hac vita, et tamen non est a principio intrinseco, sed ab habitu, vel auxilio supernaturali, quod ab extrinseco provenit, et infunditur.

XII. Tertio, si actum volitionis a me elicito Deus ponat in voluntate Petri, reddet illam volentem, et objectum ejus volitum, quia informat voluntatem illius, et præbet aliquem effectum formalem, nec est alius, quam reddere ipsum Petrum volentem. Si autem reddit volentem; ergo et voluntarium, et tamen non est actus procedens a voluntate, sed illi a Deo unicus; ergo definitio voluntarii non est bona dicendo, quod est a principio intrinseco. Et præsertim hoc contingit in motibus primis, et indeliberatis, qui a Deo causantur, et immittuntur in voluntatem, tales enim actus procedunt a Deo in voluntatem, et tamen voluntarii sunt, saltem voluntario imperfecto, et indeliberato.

XIII. Quarto, illud est voluntarium, quod reddit objectum voli-

tum, non ipsum actum: nam actus non est volitus, ut quod, sed ut quo, nisi reflexe per alium actum, qui habeat illum pro objecto; sed stat bene, quod aliquis actus procedat a voluntate, et tamen objectum non reddatur volitum; ergo non bene definitur voluntarium per hoc solum, quod est procedere a voluntate. Minor probatur in actu odii, nolitionis, et fugæ: tales enim actus non reddunt objectum volitum, sed potius repulsum, et nolitum. Major autem videtur certa, quia ex actu denominatur objectum volitum, sicut ex visione dicitur visum, ex intellectione intellectum; ergo ex voluntario debet denominari volitum.

XIV. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem negamus illam definitionem voluntarii convenire intellectioni, seu cognitioni, ut præcise procedit ab intellectu, licet possit convenire illi, ut imperatur a voluntate, et tunc procedit imperative ab illa. Licet enim conveniant intellectus, et voluntas in eo, quod sint principia intrinseca eorum, quæ ab ipsis procedunt, tamen voluntarium procedit a principio intrinseco præsupponente cognitionem, non quæcumque, sed practicam, id est, moventem, et allicientem: unde dicitur in definitione voluntarii, quod est cum cognitione finis. Finis autem ut cognitus solum movet metaphorice, id est, alliciendo, et trahendo, et consequenter solum potest movere voluntatem: principium ergo intrinsecum, quod ponitur in definitione voluntarii necessario intelligitur de principio intrinseco, quod est voluntas, eo quod sola illa potest moveri a cognitione practica finis, qui movet alliciendo, et trahendo.

XV. Et cum instatur, quod etiam una cognitio procedit ex alia, sicut cognitio conclusionum ex cognitio-

ne principiorum, et cognitio mediorum ex cognitione finis, dicitur, quod una cognitio procedit ex alia ut ex inferente, non ut alliciente, vel metaphorice movente, quæ est propria, et formalis motio finis in quantum finis. In definitione autem voluntarii cum dicitur, quod procedit cum cognitione finis, intelligitur in sensu formali, et proprio, scilicet cum cognitione finis, ut movente metaphorice: quia hæc est propria finis, qui movet tamquam bonum, et non tamquam verum. Una autem cognitio si oritur ex alia, oritur ab illa in ratione veri, non in ratione boni. Quod ergo procedit a principio intrinseco cum cognitione finis moventis per modum finis, et boni, et non solum per modum veri, ad solam voluntatem pertinet; ideoque optime explicat definitionem voluntarii. Et in illam recidit alia definitio voluntarii, quod est a principio intrinseco cognoscente singularia, in quibus est operatio. Explicatur enim per ly cognoscente, cognitio practica directiva, et inclinativa ad agendum: et hæc semper fit cum motione finis, et boni.

XVI. Ad secundam probationem dicitur, quod actus supernaturalis procedit a principio intrinseco, scilicet a voluntate, non tamen sola, et nuda, sed elevata, et supernaturalizata per aliquid intrinsece inhærens ipsi voluntati, infusum tamen, et procedens a Deo, non ab ipsamet voluntate ortum. Nec enim ut actus sit voluntarius requiritur, quod omne principium ita sit intrinsecum, quod etiam ex omni parte ab intrinseco proveniat: nam etiam in ipso intellectu cognitio est actus vitalis ab intrinseco principio procedens, et tamen etiam dependet a specie impressa, quæ ab extrinseco provenit: imo ipsa voluntas, et ipsa anima, quæ sunt principia maxime intrinseca procedunt a Deo, ut a

principio extrinseco effectivo. Ut enim dicit S. Thomas in presenti articulo primo, licet voluntas sit principium intrinsecum voluntarii, non tamen est principium primum, sed derivatum, et dependens a principio primo, quod est Deus, ideoque tam in suo esse, quam in suo operari debet a principio extrinseco moveri. Neque hoc est contra rationem principii intrinseci, quia potest esse intrinsecum, et tamen dependens, et procedens ab aliquo extrinseco. Sic ergo principium supernaturale est quidem infusum a Deo, tamquam a principio extrinseco elevante intrinsecum, et sic intrinsece inhæret voluntati, eamque afficit, et ex ipsa sic affecta, et elevata procedit actus vitalis supernaturalis, et voluntarius, quia revera procedit a principio intrinseco, licet elevato ab aliquo extrinseco elevante, et movente, et conservante.

XVII. Ad tertiam probationem respondetur, quod in illo casu voluntas non reddetur volens per talem actum formaliter, sicut neque intellectus reddetur intelligens per conceptum alterius hominis sibi a Deo unitum: quia solum sustentabit illum entitative, et physice, non vitaliter, quia non habet illum, ut actum procedentem a se, sed sicut sustentantur alia accidentia etiam in subjecto non vidente. Unde voluntas solum denominabitur sustentans entitatem illius actus, qui a voluntate aliena processit, non autem denominabitur volens, quia istæ denominationes actuum vitalium, ut esse cognoscentem, volentem, etc. non denominant subjectum per nudam, et inanimatam inhærentiam formæ in subjecto, sed per informationem vitalem, id est, per informationem actus, ut procedentis a tali potentia, et subjecto: sicut etiam non denominatur aliquis agens, aut generans, nisi actio a se

procedat, licet passive talis actio in quantum motus inhæreat in passo. Sicut etiam si Deus poneret gratiam, vel intellectionem in lapide, non denominaretur lapis justus, aut intelligens, sed solum sustentans gratiam, vel conceptum, quia non est capax alterius effectus formalis, quia exigit vitalitatem, ut denominare possit: et species visibilis in aere inhæret illi entitative, non representative. Sic ergo actus alterius voluntatis si ponatur inhærenter in mea, non denominabit me volentem, quia non procedit vitaliter a me, sed solum denominabit illam sustentantem entitatem illius actus.

XVIII. Ad id quod dicitur de motibus subitis, qui inspirantur a Deo, respondetur quod illi actus dicuntur causari a Deo, ut a movente extrinseco, non tamen ut ab eliciente: vere enim et proprie eliciuntur, et procedunt ab intellectu, et voluntate, cum sint actus vitales cognoscendi, et appetendi, sed tamen quia sunt primi actus, et pro tunc non supponunt alios priores, per quos intellectus, et voluntas se moveant, ideo oportet quod a solo Deo moveatur, et inspiretur voluntas non solum determinando, et applicando ad operandum, sicut fit per physicam prædeterminationem in quocumque actu, sed etiam ad ipsam speciem actus movendo, et excitando: tamen ipse intellectus, et voluntas tali moti subjecta vere elicit, et vitaliter producit tales actus, quia ad hoc movetur a Deo ut eliciat illos, quia movetur ut potentia vitalis, et ut vitaliter operetur.

XIX. Ad ultimum respondetur, quod voluntarium non solum est illud, quod reddit objectum volitum, si ly volitum sit idem quod amatum, et prosecutum; non enim solum appetitus amat et prosequitur, sed etiam odit et fugit. Voluntarium

ergo in communi, ut abstrahit ab amore, vel fuga, solum dicit aliquid procedens a voluntate, per quod possit objectum denominari affectum a voluntate, sive amando, sive fugiendo. Et si hoc affectum a voluntate velimus appellare volitum, debet esse in significatione ita ampla, quod sub se complectatur etiam esse nolitum. Et sic ad rationem voluntarii non debet attendi ipsa denominatio voliti, ut distinguitur a nolito, sed solum debet attendi, quod sit procedens a voluntate, sive prosequendo, sive fugiendo. Nec obstat, quod hac ratione nihil dicitur involuntarium, nec ex parte actus, nec ex parte objecti; non ex parte actus, quia omnis actus elicitus procedit formaliter a voluntate, et consequenter est illi voluntarius. Nec ex parte objecti, quia objectum semper redditur affectum, non autem illi repugnans, et involuntarium. Respondetur tamen, quod involuntarium dicitur non respectu actus immediate elicitum, sed respectu effectus secuti, vel objecti: quando enim aliquid displicet voluntati, et involuntarium illi est, non displicet actus ipse quem elicit, sed per illum actum abominatur objectum, vel effectum secutum, aut actum imperatum. Et sic objectum displicet, non actus displicendi, sed solum displicet, et est involuntarius, ut quo, non ut quod, seu ut res displicens.

ARTICULUS II.

Quid sit voluntarium perfectum, et imperfectum; necessarium, et liberum?

I. Cum voluntarium dicatur id, quod a voluntate procedit, et dirigitur, seu regulatur per cognitionem, necesse est explicare unde proveniat perfectum, et imperfectum vo-